

sententiam D. Thomæ, quæ tamen ex dictis solvuntur.

Unde patet responsio ad rationes dubitandi a principio propositas.

VIII. Ad primam dicitur verum esse quod Spiritus sanctus non potest importare, nec significari in vi causæ formalis intrinsecæ reddentis Patrem et Filium diligentes, bene tamen potest habere habitudinem causæ formalis terminativæ, quatenus ad ipsum Patrem et Filium comparatur tamquam terminus quidam productus per modum ponderis, et inclinationis, et consequenter ut medium uniendi in affectu ipsum objectum dilectum Personæ diligentis, quod sufficit, ut in constructione ablativi possit prædicari de ipsis Personis diligentibus talis prædicatio. Ad hunc autem modum causæ formalis non requiritur identificatio vel inhærentia, sed potius terminatio, et passiva processio per modum termini producti distincti.

Ad secundam dicitur quod illa propositio: Pater est sapiens sapientia genita negatur, quia in ly sapiens, et intelligens non importatur aliqua actio notionalis respiciens terminum productum, sed solum actus absolutus respiciens objectum intellectum, ad intellectionem autem absolutam Pater non indiget

Verbo, sicut nec ad amorem absolutum Spiritu sancto, autem ly intelligere significaretur notionaliter, sicut ly dicere, ly exprimere, tunc bene concederetur quod Pater dicit Verbo res intellectas, exprimit illas Verbo, etc. diligere autem etiam notionaliter significatur, et non solum essentialiter. Illa autem propositio: Pater generat Verbo, spirat Spiritu sancto negatur, quia ibi solum significatur habitudo producendi terminum, quod utique fit forma intrinseca, et principio, non mediante termino significatur respectus tendendi ad aliud objectum, vel denominandi ipsum agens, sed præcise attenditur habitudo effectus, vel termini producti. Et falsum est in amore spirato non importari habitudinem ad objectum amatum, sicut in Verbo ad objectum representatum, quia, ut dicit D. Thomas loco citato, dilectio notionalis dicit habitudinem ad Personam productam per modum termini, qui dicit ordinem ad rem dilectam. Amor ergo cum sit impulsus ad rem amatam, dicit habitudinem ad tale objectum, non per modum representationis, sed per modum ponderis, et inclinationis, sicut verbum per modum expressionis, in quo datur respectus ad objectum, et idem est in amore spirato.

## QUÆSTIO XXXIX.

### DE PERSONIS AD ESSENTIAM RELATIS.

#### SUMMA LITTERÆ.

Ab hac quæstione incipit agere D. Thomas de comparatione Personarum in quibus quintuplex comparatio considerari potest.

Prima est Personarum ad essentiam cum qua identificantur.

Secunda, per ordinem ad proprietates quibus in esse personæ constituuntur.

Tertia, in ordine ad actus notionales quia Personis emanant, vel per quos emanant Personæ.

Quarta, ipsarum Personarum ad invicem.

Quinta, ipsarum Personarum ad creaturas.

Primam comparationem expedit S. Thomas in hac quæstione xxxix. Et consistit hæc comparatio in hoc quod Personæ ita comparentur ad essentiam quod sint idem cum ipsa, et consequenter tres Personæ, sint ejusdem essentiæ, quod in articulo primo probat ex divina simplicitate, et ex alia parte, quia relationes non sunt accidentia; unde sequitur quod sine compositione sint idem cum essentia quantum ad rem, sint autem distinctæ quatenus oppositæ inter se. Quod vero sint unius essentiæ tres Personæ, et una essentia trium Personarum probat, quia secundum nostrum modum significandi, et intelligendi natura in divinis significatur ut forma, et persona ut suppositum habens illam; et ideo potest dici quod Personæ sunt unius essentiæ tamquam formæ, et quod essentia est trium Personarum tamquam ab illis suppositata, et formata. Et hoc ostendit articulo secundo.

Ex hoc vero sequuntur duo, quæ per sex articulos sequentes latius tractat D. Thomas.

Primum, quomodo sit facienda prædicatio inter nomina essentialia, id est, significantia essentiam absolutam, et notionalia significantia Personas relativas, vel ea quæ ad relationes pertinent: quia licet sint idem secundum rem, et identice Persona, et essentia, tamen secundum modum significandi differunt. Et sic explicant quomodo ista prædicatio sit facienda. Quod præsertim habet difficultatem in duobus. Alterum est, quantum ad multiplicationem, vel unitatem, quomodo, scilicet multiplicanda sint nomina, vel non multiplicanda, quando dicuntur essentialia de Personis: Alterum est, quoad modum significandi in concreto, et in abstracto, quomodo possint ad invicem prædicari, vel supponere essentialia nomina pro Personis, et prædicari, tum in concreto, tum in abstracto.

Secundum est, quomodo nomina essentialia sint approprianda Personis, eo quod essentialia attributa Dei sunt nobis magis manifesta ex creaturis, quam Personæ, et ideo aliqua essentialia attributa appropriamus Personis, ut per ea melius manifestentur quoad nos, sicut Patri appropriatur omnipotentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas, seu amor. Hoc se-

cundum tractat D. Thomas duobus ultimis articulis VII et VIII. Illud primum quatuor articulis, a tertio usque ad septimum.

Pro faciliori autem intelligentia eorum quæ hic de prædicationibus divinis dicuntur, ad sequentes regulas ea reducimus.

## REGULÆ PRO PRÆDICATIONIBUS DIVINIS.

Prima regula pro multiplicatione, vel unitate nominum quæ prædicantur: Nomina substantiva non multiplicantur, nisi multiplicentur formæ per substantivum nomen significatæ, requirunt tamen etiam ultra hoc multiplicari supposita, seu subjecta: nomina vero adjectiva non exigunt ad sui multiplicationem multiplicari formas, sed solum subjecta. Traditur hæc regula generaliter a D. Thoma in hac quæstione xxxix, art. III, et tradita fuerat supra quæstione xxxvi, art. IV, et loquitur tum de substantivis, tum de adjectivis. Quod autem substantiva ad sui multiplicationem requirant etiam multiplicationem suppositorum, et non solum formarum docet idem s. doctor III p. quæst. III, art. VII ad II, ubi generaliter docet nunquam nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dici, nisi propter pluralitatem suppositorum. Itaque pluralitas suppositorum, seu subjectorum semper requiritur tam pro substantivis, quam adjectivis, sed ad plurificandum substantiva requiritur etiam plurificatio formæ, non vero ad plurificandum adjectiva. Et illa intelligimus substantiva, quæ significant aliquid modo substantiæ, id est, per se stando, adjectiva vero quæ significant modo accidentis, id est, alteri adjacendo. Et procedit regula de substantivis in concreto: nam in abstracto solum significant formam, non concernendo subjectum, et sine ordine ad illud; et sic non petit multiplicationem subjectorum.

Ratio vero regulæ sumitur a D. Thoma ex ipso modo significandi nominis adjectivi, et substantivi: utrumque enim de formali significat aliquam naturam, vel formam; et quia concretum est, connotat suppositum aliquod vel subjectum. Modus autem significandi substantivi est per modum substantiæ per se stando, et modus significandi adjectivi est per modum accidentis adjacendo; sed substantia habet unitatem, vel pluralitatem per se ratione formæ suæ: ergo nomina substantiva debent significare unitatem vel pluralitatem ratione formæ. E contra vero quia accidentia non habent esse per se, neque unitatem vel pluralitatem accipiunt ratione formæ tantum, et per se, sed ex adjacentia ad subjectum; et sic adjectiva, quia significant formam modo accidentis adjacentem, ex ipsa adjacentia sumunt multiplicationem vel unitatem.

Quod vero non solum adjectiva, sed etiam substantiva concreta requirant pluralitatem suppositorum, quod negat Vasquez hic disp. CLV, cap. IV, constat ex eo, quod sicut proprium est substantiæ habere esse, et unitatem, vel pluralitatem per se, et ratione ipsius naturæ, seu formæ, ita petit afferre secum suppositum, si modo proprio, et connaturali se habeat: ergo nomina substantiva, quæ significant formam per modum substantiæ, id est, juxta modum proprium, et connaturalem ipsius substantiæ, oportet quod non solum habeant unitatem, vel pluralitatem ratione formæ, sed etiam quælibet forma importet suum suppositum, atque adeo ad multiplicationem substantivi concurrat etiam pluralitas suppositorum: totum hoc enim pertinet ad modum substantiæ, scilicet quod ex vi formæ, seu naturæ habeat per se stare, et hoc stare per se sit afferre suum suppositum; et ita per hoc quod exigit substantivum unitatem vel pluralitatem ex ipsa ratione formæ, non tollitur, sed potius petitur quod habeat pluralitatem suppositorum si multiplicatur. Unde non obstat quod S. Thomas in arti-

culo tertio hujus quæstionis dixerit, quod: « Singularitas, vel pluralitas nominis substantivi attenditur penes formam significatam per nomen: » attendi autem est ex illa solum desumi. Quem locum urget Vasquez sed immerito, quia verum est pluralitatem, et unitatem substantivi solum attendi secundum formam, et ex illa desumi, ut ex ratione formali, non tamen hoc solum importare, quia ex ipsa illa forma secundum quam hoc attenditur, est forma substantiva, ex ipsamet autem ratione formæ substantivæ consequitur quod importet secum suppositum; unde in hoc ipso quod dicitur attendi secundum formam, tacite significatur, quod attenditur etiam secundum supposita, quia forma secundum quam attenditur illa pluralitas, est forma substantiva, quæ ex sua natura affert secum suppositum. Et ita id explicuit S. Thomas esse necessarium in tertia parte quæstionis tertiæ citatæ et supra quæstione xxxvi, art. IV ad II, ubi ostendit Patrem non esse plura principia, licet habeat plures proprietates, quia est unum suppositum, sicut qui habet plures artes, non est plures artifices, et qui habet plura indumenta, non est plures induti.

Secunda regula, quæ ex ista prima deducitur: Nomina essentialia in divinis adjective sumpta possunt multiplicari, non autem substantive. Vocamus nomina essentialia ea quæ significant naturam vel pertinentia ad naturam, scilicet perfectiones absolutas. Hæc igitur in tribus Personis multiplicantur adjective, non substantive tenta. Exemplum primi: sicut vere dicimus esse tres Personas divinas (ly divinas adjective) esse tres existentes, immensas, immutabiles, æternas, sumendo hæc nomina adjective. Exemplum secundi: non vere dicimus esse tres Deos, tres creatores, prædestinatores, etc. Nec dicimus tres increatos, tres immensos, tres omnipotentes, sumendo hoc substantive: id enim aperte negatur in symbolo Athanasii. Nec solum hoc negatur propter periculum conveniendi cum hæreticis, sed propter rigorem veritatis, et proprietatem sermonis, eo quod, ut dictum est, substantiva nomina ex modo significandi petunt multiplicari ratione formæ, eo quod ipsa forma substantiva esse debet, seu per modum substantiæ significatur, et ita si multiplicatur ut substantiva, ratione sui debet multiplicari, et tamquam per se existens, et in se divisa non ex adjacentia ad aliud. Et qui diceret in rigore sermonis verum esse dari plures Deos, non evaderet errorem, quia idem esset ac fateri in re esse plures Deos, et solum a nobis id occultari aut negari, ne conveniamus cum hæreticis.

Tertia regula pro concretis ad videndum pro quo supponant, et verificentur: Nomina essentialia non solum supponunt pro hoc Deo, sed etiam possunt supponere pro Persona. Ita D. Thomas hic articulo quarto.

Ratio est, quia concretum essentialia, v. g. Deus, significat habens deitatem, sicut homo significat habens humanitatem: ergo ex vi, et modo suæ significationis potest supponere pro quocumque habente deitatem. Deitas autem non solum habetur in se quatenus est per se existens, sed etiam habetur in Personis quatenus terminatur per illas. Potest ergo supponere non solum pro eo quod est natura divina absolute, sed etiam pro Personis relative.

Quarta regula: Ex ipso prædicato habet hoc nomen Deus trahi seu determinari ad supponendum pro Deo absolute, vel pro Persona relativa, aliquando pro una, aliquando pro duabus, aliquando pro omnibus. Ita D. Thomas articulo quarto in fine corporis. Constat hoc exemplis, et ratione. Exemplis, ut cum dicitur Deus est creator, Deus est æternus, ly Deus stat pro Deo absolute. Si dicatur, Deus generat, stat pro Persona Patris tantum: Deus generatur, pro solo Filio: Deus spirat, pro Patre, et Filio simul: solus Deus est Trinitas, soli Deo honor, et gloria, pro tribus Personis.

Ratio vero sumitur ex traditis ibi ad primam et ad tertiam quod hoc nomen Deus habet vim termini communis, eo quod est in pluribus suppo-

sitis, licet ex parte rei significatæ sit singularis. Sed tamen cum hac differentia ab hoc nomine homo, et aliis nominibus creatis, quod concretum hominis in re solum invenitur in Personis, in communi autem solum invenitur per rationem: natura autem divina etiam ut communis ad tres Personas invenitur in re. Unde homo sumptus in concreto per se loquendo stat pro suppositis, ratione autem alicujus additi trahitur ad standum pro natura communi, ut quando dicitur, homo est species: at vero hoc nomen Deus per se stat pro absoluto, sed ex prædicato adjuncto determinari potest ad Personam, ut quando dicitur, Deus generat, verificatur pro Patre: Deus generatur, pro Filio. Unde fit quod si negatur aliquis actus notionalis de hoc nomine Deus, ut si dicatur, Deus non generat, Deus non generatur, propositiones redduntur falsæ, et non se habent sicut particulares, et sicut subcontrariæ respectu affirmatarum, quasi istæ sint simul veræ: Deus generat; Deus non generat, sicut istæ particulares: Aliquis homo currit, aliquis homo non currit.

Ratio est, quia ille terminus Deus de se non supponit pro Personis, nisi ad id constringatur ratione sui prædicati. Unde si prædicatum sit negatio actus notionalis, ut cum dicitur, Deus non generat, illa negatio non trahit ad supponendum pro Personis, vel pro aliqua determinata Persona, et relinquit eum in significatione communi, ut amplectitur omnes Personas, vel ut significat naturam communem omnibus; et sic facit sensum, quod naturæ divinæ, seu Deo communiter sumpto ad omnes Personas, non convenit ille actus notionalis generandi, quod est falsum, quia pro aliqua Persona convenit Deo. Affirmativa autem, Deus generat, potest trahi ad standum pro Persona Patris, et in illa verificatur.

Quinta regula: Nomina essentialia in abstracto sumpta ut essentia, deitas, natura, non possunt supponere pro Personis, nec illis attribui actus notionales: nec ea quæ notionalia sunt illis possunt attribui: bene tamen possunt abstracta essentialia prædicari de Personis, vel abstracta Personarum de essentia tam in concreto, quam in abstracto. Itaque formaliter non possunt supponere pro Personis abstracta essentialia, bene tamen identice.

Prima pars regulæ patet exemplis, et ratione: exemplis sicut hæc est falsa: Essentia generat, vel est genita, ut contra abbatem Joachim definitur in c. Damnamus, de summa Trinitate, quod est Concilii Lateranensis sub Innocentio III.

Ratio vero est, quia licet Deus, et deitas, concretum, et abstractum in Deo sint omnino idem ex parte rei significatæ, tamen ex modo significandi valde differunt; quia abstractum non significat habens ipsam naturam, et consequenter si sit nomen naturæ, seu formæ essentialis, ex modo significandi non significat Personam, et sic ex vi talis modi significandi non potest supponere pro ipsa Persona: ergo neque potest de illo verificari actus notionalis, qui est proprius Personæ, ut generare, et generari. Unde si nomen abstractum non sit essentialis, sed notionale, ut paternitas, filiatio, in ratione hujus regulæ non comprehenditur, ut si dicatur, paternitas generat, filiatio generatur, quia illud abstractum est idem quod Persona. An vero ex alia parte istæ locutiones sint falsæ? D. Thomas falsas esse affirmat supra quæstione XXXII, art. II ad II, quando prædicatur de illis aliqua actio seu ordo ad actionem, ut paternitas generat: filiatio generatur, quia ex modo significandi non significantur ut res, vel virtutes agendi, sed ut relationes, quæ ex modo significandi non agunt, licet habeant esse, ut infra qu. XLI, art. V, docet D. Thomas et quod ad esse pertinet de illis dicitur, ut esse divinas, esse Deum, etc.

Secunda pars regulæ etiam exemplis constat, et ratione: nam si suppositio in istis nominibus non sumatur ex formali modo significandi, sed ratione identitatis, verificantur notionalia de abstractis essentialibus, ut si dicatur, deitas est res generans: essentia est res genita, quia solum

designatur identitas unius cum alio, et hæc identificatio vera est, ubi non obstat oppositio relationis, sicut revera non est inter essentiam, et relationes. Ex quo ulterius deducitur quod illæ propositiones, in quibus solum explicatur prædicatio unius de alio quoad esse, non autem aliquid per modum actionis, et passionis notionalis attribuitur essentiæ, bene possunt essentialia in abstracto prædicari de Personis, et Personæ de illis, et sic supponunt pro eodem ad invicem, ut cum dicitur, deitas est Pater, vel, Pater est deitas: paternitas est Deus, vel contra: omnes istæ prædicationes veræ sunt, quia ibi solum significatur identitas, ratione cujus unum est aliud, et e contra. Omnia autem sunt unum in divinis, excepta oppositione relativa. Identice ergo possunt abstracta supponere pro Personis, sed formaliter, et ex modo significandi non possunt: et ideo actiones, vel passionis notionales, ut generare, aut esse genitum non possunt attribui essentiæ in concreto, quia actus conveniunt supposito ratione formæ.

Et si quæras, an istæ sint concedendæ: Essentia est relativa, est respectiva, vel respicit terminum, sicut conceditur identice: Essentia est relatio, est Persona, est res relativa, etc.

Respondetur illas non esse concedendas, quia licet relatio entitative considerata, et significata, ut res et entitas quædam, ut in hoc nomine relatio, prædicari possit de essentia, et deitate in abstracto, tamen in ly respiciens, et ly relativa, explicatur exercitium respiciendi, quod licet non sit actio, est tamen notionale exercitium et sic facit appellationem, et non convenit essentialibus nominibus sub conceptu absoluto, et essentiali significatis, ut est ly essentia; sicut non dicitur quod essentia est generans, aut generat, bene tamen quod est generatio, aut res generans: ita nec est respiciens, sed res respiciens.

## QUÆSTIO XL.

### DE PERSONIS IN COMPARATIONE AD RELATIONES, ET PROPRIETATES.

#### SUMMA LITTERÆ.

Quatuor determinat S. Thomas in hac quæstione, quæ pertinent ad constitutionem Personarum per proprietates, seu relationes, et origines.

Primum est in articulo primo, quod relatio sit idem quod Persona, eo quod ad Personam pertinet proprietas, quæ per relationem significatur: et sic dicuntur Personæ esse proprietates propter identitatem, et proprietates esse in Personis quia significantur ut formæ in illis.

Secundum in articulo secundo docet, quod distinguuntur, et constituuntur formaliter Personæ per relationes, non per origines: nam quod per essentiam non distinguuntur constat, quia in ea conveniunt: originibus autem etiam distinguuntur, sed quia significantur tamquam actus aut viæ, melius dicitur per relationes formaliter distingui, et constitui tamquam

formis per se stantibus, et opposite respicientibus quam sub formalitate originis significatis.

Tertium est in articulo tertio, quod remotis relationibus non remanent supposita vel hypostases in divinis, sicut aliqui dixerunt, quod Pater per negationem originis ab alio constituebatur in esse hypostasis, relatio autem Patris quasi ad dignitatem pertinens constituebat Personam. Sed hoc est falsum, quia proprietates ipsæ, seu relationes sunt personalitates subsistentes, quia subsistunt in natura intellectuali; et sic conceptus hypostasis in tali natura jam est Persona.

Quartum est in articulo quarto, quomodo actus notionales præsupponant vel sequantur ad proprietates seu relationes personales. Et dicit quod actus isti seu origines significatæ passive prius intelliguntur, quam Personæ per illas procedentes, quia fundantur, et sequuntur ad illas. Origines autem significatæ active sunt priores relatione non personali, ut spirare est prius relatione spiratoris. Respectu autem relationis constituentis Personam (ut generatio respectu paternitatis) actus notionalis est prior exercitio relationis, est autem consecuta ad rationem relationis ut constitutam Personæ.

### QUÆSTIO XLI.

#### DE PERSONIS IN COMPARATIONE AD ACTUS NOTIONALES.

#### SUMMA LITTERÆ.

Comparisonem Personarum ad actus notionales sex articulis considerat D. Thomas. In primo supponit, et explicat quomodo actus notionales sint attribuendi Personis, videlicet quia distinctio Personarum attenditur secundum originem, et origo designatur per actus notionales, ut generatio, spiratio, nativitas, processio, etc. qui actus, seu origines non distinguuntur a relationibus seu Personis.

In secundo articulo ostendit actus notionales esse naturales, et necessarios, non voluntarios per modum liberi, ita quod voluntas, ut libere operans sit principium illorum: hoc enim processionis creaturarum proprium est. Unde etiam Spiritus sanctus procedit a voluntate ut natura.

In articulo tertio ostendit actus notionales non producere ex nihilo, sed ex ipsa divina substantia, quia producere ex nihilo est producere esse creatum, et sicut artifex producit ex materia externa, et illud quod producit, licet sit simile ideæ, non tamen naturæ suæ, ita Deus producit ex nihilo tamquam artifex, et id quod hoc modo procedit est creatura, quod autem procedit ut verus Filius non potest ex aliena substantia esse vel de nihilo, et idem est de Spiritu sancto qui est intra Deum verus Deus.

In articulo quarto ostendit dari in Deo potentiam ad istas processiones internas, scilicet ad generandum, et spirandum, quæ non designat nisi principium quo talium processionum. Hoc autem principium distinguitur

quidem, et est reale principium respectu termini præcedentis, non autem realiter distinguitur ab actu intelligendi vel volendi, quo fit processio.

In articulo quinto ostendit potentiam hanc notionalem, v. g. potentiam generativam in recto importare essentiam, quatenus dicit ipsam vim producendi, et id ratione cujus terminus procedit simile generanti, vel idem cum suo principio; connotat autem relationem, et oppositionem, quatenus requiritur ad distinctionem. Non tamen relatio est id quo generans generat, quia relatio non designat virtutem operandi, sed oppositionem.

In articulo sexto ostendit actus notionales non posse habere plures terminos, sed unum tantum, v. g. non posse habere plures Filios, nec plures Spiritus sanctos, id enim postulat infinitas et perfectio cujuslibet processionis, ut unica totum hauriat.

### QUÆSTIO XLII.

#### DE ÆQUALITATE, ET SIMILITUDINE DIVINARUM PERSONARUM.

#### SUMMA LITTERÆ.

Comparat in hac quæstione D. Thomas Personas inter se præsertim quoad æqualitatem, et ordinem, atque existentiam unius in alia.

Igitur in primo articulo docet dari inter divinas Personas æqualitatem, quia non est majus, et minus, non quidem æqualitas quantitatis, sed perfectionis, et virtutis, quæ est essentia Dei. Non tamen hæc æqualitas, et similitudo est in Deo relatio realis distincta a relationibus Personarum.

In articulo secundo ostendit Personas esse æquales in æternitate, seu coæternas inter se, eo quod processio earum est a principio perfecto, et non impedito, et necessario seu naturaliter operante in his processionibus: ergo idem est in Deo esse, et producere Personas.

In articulo tertio ostendit, quod non obstante coæternitate personarum est in eis ordo originis, quia una Persona est ab alia, sed non est prioritas qua alter sit prior altero, sed qua unum est ex altero.

In articulo quarto ostendit Personas divinas esse æquales secundum magnitudinem, quia magnitudo in Deo non est quantitatis, sed perfectionis, et hæc eadem est in Patre, et Filio, quia non per incrementum crescit Filius ad æqualitatem Patris, sed nativitate ipsa totum quod in Patre est, accipit.

In articulo quinto ostendit quomodo una Persona sit in alia, scilicet triplici modo; primo, ratione essentiæ, quia essentia unius communicatur alteri, et est in illa. Secundo, ratione relationis, quia unum relativum est in suo correlativo ratione oppositionis, et tendentiæ. Tertio, ratione originis, quia procedunt Personæ per actus immanentes, de quorum ratione est quod terminus procedens maneat intra ipsum a quo procedit.

In articulo sexto ostendit Personas esse æquales in potentia, quia habent eandem naturam, et perfectionem: ergo eandem virtutem, et potentiam, quia hæc pertinet ad naturam.